

licet in ipsis tenebris peccati ; ut ab interioribus transeant ad exteriores et æternas. Averte à me, Domine
Isaïæ. 38. *Dicito mihi prius : Dispose domui tuæ , quia morieris tu ; da tempus pœnitentiæ. Etsi illud optimum , ut quotidie id mihi intimari putem , et ita semper sim paratus. 3. Quòd ægrè et inviti moriuntur ; quare dicit : Animam tuam repetent à te ; mali scilicet dæmones. Justis autem in desiderio est : Educ de custodiâ animam meam , ad confitendum nomini tuo.*

PUNCTUM III.

Luc. 12. *Quæ autem parasti , cujus erunt ? Hoc postremum oblivionis damnum , quòd quasi semper victuri non prospiciunt in posterum. Tua certè non erunt , quia diviti dicitur : Cum interierit , non sumet omnia , neque descendet cum eo gloria ejus. Non sic justis , non sic , quorum opes sunt opera bona , quæ sequuntur ipsos.*
Ps. 48. 18. *Interrogato etiam te : Et hæc anima cujus erit ? Quam dabit impius commutationem pro animâ suâ , quominus in potestatem diaboli veniat ? Dicam Deo : Tuus sum ego ; salvum me fac.*

PUNCTUM IV.

Evem- plun. Obliviosi conditio repræsentatur in Balthasare rege Babylonis , cui operam danti comessionibus visa est manus scribens in pariete : *Mane , Thecel , Phares. Numeravit Deus regnum tuum , et complevit illud. Appensus es in staterâ , et inventus es minus habens. Divisum est regnum tuum , et datum est Medis et Persis :*
 ita

ita Daniele interpretante. Et eadem nocte id totum subsecutum est ; et quadrat in illum divitem ac similes. *Mane , numeravit* : stulte ! hæc nocte repetent animam tuam à te. *Thecel , appensus es* : utiquè minus habens inventus es , qui idcirco vocaris stultus. *Phares , divisum est* : et hæc , quæ parasti cujus erunt ? Auferentur videlicet à te , et dabuntur ei quem ignoras.

DE JUDICIO UNIVERSALI.

MEDITATIO XIII.

De signis præcedentibus judicium.

PUNCTUM PRIMUM.

CAUSÆ universalis judicii. 1. Ut sententia lata in particulari judicio , ejusque æquitas , innotescat toti mundo ; atque ut suppleatur quod defuit. Nam de corpore ibi nihil fuit decretum : et contingit damnati hominis corpus in honore esse ; beati autem ignominiosè haberi. Debet autem participare gloriæ aut pœnæ , prout in hac vita servivit justitiæ , aut iniquitati. 2. Ut justis honor coram omnibus habeatur , qui in hæc vitâ fuerunt contemptui : ac imprimis , ut justificetur Deus in judiciis suis qui justos premi nunc , malos autem exaltari permisit ; quod sapientissimè fuisse dispositum dies illa manifestabit. Propterea , nolite ante tempus judicare. 3. Ut mali et impii videant
1 Cor. 4. 5.

gloriam Christi, præsertim ù qui viderunt humiliatum. Ideòque iudicium in valle Josaphat constituetur, circa Jerusalem et montem Olivarum, ubi crucifixus Dominus fuit, et ascendit in Cælum: ut ibidem il-

Luc. 21. lum videant descendentem cum potestate magnâ et ma-
27.
Act. 1. 11. jestate; sicut prædixerunt angeli: Quemadmodum vi-
Ps. 95. 11. distis eum ascendentem in Cælum, ita veniet. Ergo Læ-
 tentur Cæli, et exultet terra; quoniam venit iudicare ter-
 ram in æquitate et populos in veritate suâ.

PUNCTUM II.

Signa. Signa præcedentia. 1. Erunt plurima: Omnem
Sapient. 5. enim creaturam armabit Deus ad ultionem, et pugnabit
18. cum illo orbis terrarum contra insensatos: Et meritò;
 quia omnibus abusi sunt peccatores. 2. Erunt ter-
Matt. 24. ribilia. Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum
29. (sed convertetur in sanguinem). Stellæ cadent de cælo,
(Act. 2. et virtutes cælorum movebuntur. Terræ motus erunt per
20.)
Luc. 21. 11. loca... terroresque de cælo. Mare mugiet, arescentibus
Ibid. 26. hominibus præ timore et expectatione impendentium.
 Nam obscuratio solis portendet æternas tenebras;
 suffusa luna sanguine, iram iudicis implacabilem;
 cadentes stellæ, præcipitationes in abyssum etiam
 hominum aliquandò clarorum; fremitus maris, aper-
 tique terræ hiatus, et omnium confusio elementor-
 um, imaginem referent furentium dæmoniorum in
Job. 10. 22. in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.
 Arescat autem impius præ timore, exsiccante ossa

spiritu tristi ex conscientia factorum: at electi cum timore, simul fiduciam habebunt, memores Christi verborum: *His fieri incipientibus, respicite et levate* *Luc. 21.*
capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. *28.*

PUNCTUM III.

Conflagratio mundi, de qua S. Petrus: *Adve-* *Ignis finis*
niet dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu *mundi.*
transient, elementa verò calore solventur, terra autem, *2Pet. 3. 10.*
et quæ in ipsâ sunt opera, exurentur: nempè plantæ,
 animantes, homines ipsi residui, et quicquid ad usum
 et luxum humana fecit industria; palatia, moles,
 urbes, amœnitates omnes. Nam, ut ait Joel: *Ante* *Joel. 2, 3,*
faciem ejus ignis vorans, et post eum flamma exurens;
quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum soli-
tudo deserti; neque est qui effugiat eum. Ignis iste cru- *Malis cru-*
 ciabit malos; justi autem per illum purgabuntur. Per- *delis.*
 manebit autem usque ad finem iudicii, etiam resur-
 rectione factâ; et in corpora damnatorum sæviet,
 etiam ante sententiam; et eâ pronuntiatâ, tanquam
 fluvius rapidus trahet eos secum in tartara. At verò
 justorum resuscitatorum corpora non poterit lædere,
 Deo intercedente flammam ignis; ut ea verba Basi- *In Ps. 28.*
 lius interpretatur. *Tunc implebitur: Ecce dies veniet* *Malach.*
succensa quasi caminus: et erunt omnes superbi, et fu- *4. 1, 2, 3.*
cientes impietatem, stipula; et inflammabit eos dies ve-
niens, quæ non derelinquet in eis radicem et germen. Et
orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ; et

egrediemini, et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub plantâ pedum vestrorum.

PUNCTUM IV.

Math. 24. 36. De die illâ et horâ, quâ evenient ista, nemo scit; neque Angeli caelorum, neque Filius hominis, nisi solus Pater. Et non solum non potest à longè prænosci hora illa, sed nec jam instans præsentietur. Ac ita, incautos, et nihil minus cogitantes, imò nuptiis et comessationibus operam dantes, ex improvise corripit ignis ille; quemadmodum diluvium in diebus Noe, inopinantes obruit, et flamma cælitus Sodomitas absumpsit: quibus exemplis Dominus est usus ad improvisam sui adventûs, et conflagrationis mundi, quasi irruptionem indicandam.

MEDITATIO XIV.

De resurrectione corporum, et de præcedentibus sententiam.

PUNCTUM I.

Resurrectio. RESURGENT mortui. Mittet Angelos suos cum tubâ et voce magnâ; et congregabunt electos ejus à quatuor ventis; à summis caelorum usque ad terminos eorum; in momento et in ictu oculi, in novissimâ tubâ: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tubâ Dei, des-

1 Thess. 4. 15.
Apoc. 20. 13.

cedet de Cælo; et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Et dedit mare mortuos qui in ipso erant; et mors et infernus dederunt mortuos suos: et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Ad hanc citationem comparebunt magni et parvi; et corporibus momento reformatis, animæ à Cælo et inferis revocatæ, ut prius unientur. O vocem potentem, malisque terribilem! Quam ut tunc lætus excipiam, audiam modò illam: Surge qui dormis, et illuminabit te Christus.

Eph. 5. 14.

II. Porrò corporum erit diversitas: nam omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 1. Mali sortientur immortalia quidem, sed patibilia et scæda, quæ subire animæ exhorrescant. Ibi se mutuò insectabuntur anima et corpus; illa, quòd ob corporis rebellionem in ea mala devenerit; istud autem, quòd, cum frænari corporis concupiscentiæ ab animâ debuisse, contrâ indulsit ei omnia; ex quo etiam crescet utriusque tormentum. 2. At justi sortientur corpora impatibilia et gloriosa: unde sibi mutuò gratulabuntur anima et corpus de mortificatâ sensualitate.

1 Cor. 15. 51.
Corpora malorum.

Bonorum.

PUNCTUM II.

Adventus Judicis. 1. Gloria et majestas ejus erit præ sole et lunâ, et stellis, quam vel ipsi dæmones coacti venerabuntur, pro Deo ipsum agnoscentes; ut tunc vel maximè omne genu ipsi flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confite-

Judicis gloria.

Philip. 2. 10.

teatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris : ubi , juxta promissum , ponentur inimici ejus scabellum pedum ipsius. 2. Comitatus erit angelorum omnium , ut ipsemet præmonuit : Cum venerit Filius hominis in majestate suâ , et omnes angeli cum eo. Qui , ut credi potest , lucidis , instar solis , vestientur corporibus , ad regis sui magnificentiam , corporis oculis , etiam impiorum , subjiciendam. 3. Tunc apparebit signum Filii hominis in Cælo : et tunc plangent omnes tribus terræ ; et videbunt Filium hominis venientem. Plangent inimici Crucis ; exultabunt , qui carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis. 4. Thronum Judici exhibebunt splendidissimæ nubes , è cujus vultu ac oculis micabunt radii placidissimi adversus justos ; in malos autem ira et indignatio , ut illius aspectum sustinere nequeant. Quin etiam vulnera ipsa amorem spirabunt , et accendent in pectoribus justorum : confusionem autem et fletum movebunt in expertibus illorum fructus , et maximè Judæis , qui illum pupugerunt. 5. Sed et beatissimæ Virgini Mariæ , tanquam Regis Matri , suus thronus collocabitur , non secus ac Salomon matri suæ fieri voluit : non jam ut deprecetur pœnas , sed ut confundantur qui in tempore usi non fuerunt illius patrocinio , aut etiam injuriis eam affecerunt ; et ut , quæ præ omnibus compassa est Christo patienti , præ omnibus conglorificetur jam regnanti. Circumponentur etiam sedes apostolis Domini , juxta magistri promissum : Amen dico vobis , quod vos qui seculi

Ps. 109. 2.
Comitatus.
Matt. 25.
31.
Matt. 24.
30.
Thron.
Apostoli.
Matt. 19.
28.

estis me , in regeneratione , cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ , sedebitis et vos super sedes duodecim , judicantes duodecim tribus Israel.

PUNCTUM III.

Segregatio honorum à malis. Exibunt angeli , et separabunt malos de medio justorum , sicut pastor separat oves ab hædis ; et statuet quidem oves à dextris , hædos autem à sinistris. In hæc vitâ sunt omnes permixti , et plerumque melior pejore loco , sive dignitate , sive opinione hominum , sive successibus. Tunc mutabuntur vices , manebuntque perpetuæ : quo gaudio justorum , et quâ iniquorum confusione ! Juvat nunc tenere novissimum locum , ut dicatur tibi : Ascende superius , non contrâ. Ibi assistet regina à dextris regis , in vestitu deaurato. Propterea neminem in hæc vitâ contemne , quia fortè præcedet te illic.

Separatio.
Matt. 13.
49; 25. 33.
Luc. 14.
10.
Ps. 41. 10.

PUNCTUM IV.

I. Apertio conscientiarum , de quâ Paulus : Nolite ante tempus judicare , quoadusque veniat Dominus , qui et illuminabit abscondita tenebrarum , et manifestabit consilia cordium ; et tunc laus erit unicuique à Deo. Conscientiæ sunt libri qui aperientur tunc ad judicandum : qui modò sunt clausi ; tunc autem patebunt singulis omnes. Studiosè nunc oculo peccata , et gravissimè fero propalari vel uni vel alteri : imò vix non subitico in confessione ; et quo modo sustinebo co-

I.
Patebunt
conscien-
tia.
1 Cor. 4. 5.

ram angelis, et hominibus cunctis, planè nudari, et ostentui haberi?

II.
Opera
bona.

II. Producentur etiam in lucem omnia bona justorum, undè laudem referant; nec mala eorum tementur. Quæ tamen ipsis confutioni non erunt, quando ab illis se expediverunt per gratiam Dei; et cedent in confutionem malorum, qui fortè minùs peccaverunt, nec se tamen à peccatis per pœnitentiam exemerunt. Malis etiam ipsa bona patrata augebunt ignominiam, quòd à cœptis destiterunt.

PUNCTUM V.

Accusa-
tores.

Accusatio reorum. 1. Diabolus accusabit, et dicet ad Judicem: Ego hos non creavi, pro eis non sum passus, etc., et tamen mihi serviverunt, te neglecto. Ita S. Basilus. 2. Christus, ipsorum conscientias repræsentando, exprobrabit beneficia, tum communia, tum privata in singulos: Et quid tandem facere potui, quod non fecerim? 3. Angeli custodes sua objicient officia; et justique quoque, qui nostræ salutis operam aliquam impenderunt; et denique ipsa nos accusabit vehementissimè conscientia.

Orat. 1. de
amore Dei
et proxi-
mi.

MEDITATIO XV.

Sententia Judicis pro Bonis, et contra Malos.

PUNCTUM I.

SENTENTIA pro justis. Blando vultu et voce sic alloquetur: *Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Venite: undenam? Qui aliquando vocati parvultis, et tolentes crucem secuti estis me, venite de Libano, quæ est Ecclesia, in quâ regenerati, et aliti in cedros pulcherrimas excrevistis; venite de tribulatione magnâ, ablatis stolis vestris in Sanguine meo; venite de cubilibus leonum, de montibus pardorum, de societate hominum crudelium, qui vos persecuti sunt, et afflixerunt. O audiam primò vocantem, sequarque; ut secundò audire merear in die illâ invitantem! *Benedicti Patris mei: O compellatio optatissima! Quisnam eam promerebitur? Innocens matris et mundo corde. Hic accipiet benedictionem à Domino, et misericordiam à Deo salutari suo.* Benedicti, non Abraham, Isaac, aut Jacob, qui benedixerunt filiis suis; aut Moysis, qui populo benedixit; sed Patris mei, paterno prorsus affectu: *Qui benedixit vos in omni benedictione spirituali per gratiam, nunc autem per gloriam; et est benedictio ejus efficax, nec frustrari potest.* Possidete paratum vobis regnum

Sententia
ad justos.
Matt. 25.
34.

Ps. 23. 4.

Eph. 1. 3.

à constitutione mundi. Quodnam regnum? quod solum est verè regnum, et per excellentiam tale. Quomodo paratum? in misericordiâ et beneplacito divino: idque à constitutione mundi, quando præparabat Cælos, sedem hujus regni constituens empyreum Cælum; et vobis paratum præ tot aliis. *Esurivi enim et dedistis mihi manducare: sitiivi, et dedistis mihi bibere, etc.* Admiratio capiet justos quòd ob tam exilia merita tribuat regnum, et quidem tale; et quòd tanti faciat opera misericordiæ, sibi que exhibita imputet quæ pauperibus, quos et fratres vocare non dedignatur. Verè igitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Opera misericordiæ.

Matt. 5.7.

Cæterùm, non illa tantùm in remunerationem adducet, sed omnia alia; et unicuique speciatim, illa quibus excelluit, interiùs repræsentabit; ut martyri, quòd pro se vitam posuerit; virgini, quòd se Deo immaculatam servaverit; religioso, quòd, relictis omnibus, sibi fideliter adhæserit.

PUNCTUM II.

In irpios sententia. Pœna Damni.

Matt. 25. 41.

Sententia in reprobos, formidabili vultu voceque pronuntiata: *Discedite à me.* Hæc est pœna Damni, exclusio à regno, à visione et fruitione divinâ, ab amore, ab omni favore et beneficio, à cœlesti sede, à consortio Beatorum, Angelorum et hominum. *A me, qui principium et finis omnium sum, Creator vester, Redemptor, Deus! qui ad id tantummodo in vobis ero, ut quoniam sine me esse non*

potestis, non planè in nihilum redigamini, sed vivatis ut nunquàm miseri esse desinatis. *Maledicti.* Per omnia maledicti; in corpore, animâ, potentiis illius, in sensibus, in loco, in sociis, in rebus omnibus. Non dicit, *Patris mei*; quia Deus mortem non fecit, nec maledictionis auctor est, sed eam sibi peccatores consciscunt: *Dilexit maledictionem, et venit ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* Quæ rabies tunc damnatorum? Irrugit Esau ob præceptam sibi à Jacob benedictionem: quantò magis isti ob superinductam sibi ampliùs æternam maledictionem? Undè etiam in maledicta prorumpent, in matrem quæ genuit, in lac quod suxerunt, in Deum ipsum justum peccatorum vindicem. O Jesu! qui *maledictum facis es*, ut nos à maledicto vindicares, ne, quæso te, illius infaustæ maledictionis pœnam incurram. *In ignem æternum.* Hæc est pœna, quæ vocatur Sensus, quia peccator non tantùm privatur summo bono, sed etiam afficitur summo malo. Ergo ait: *Discedite in ignem æternum*; non tantùm qui durabit in æternum, sed qui etiam in æternum cruciabit. Non vos tantùm à meo conspectu, et bonis excludo, abjicioque; quòd fortassis parvi feceritis, si liceret, ut priùs, uti creaturis, ad explendas cupiditates: sed omni ex illis consolatione exutos, æternis cruciatibus addico. *Qui paratus est.* Sicut empyreum Cælum justis, ita infernalis ignis peccatoribus paratus est; cujus indicia præbent profundæ voragine, in variis terræ locis eromentes ignem. *Præparata est ab*

Maledictio.

Ps. 108. 18.

Galat. 3. 13.

Pœna Sensus.

Isa. 30. 33.

heri Topheth, à Rege præparata, profunda et dilatata. Nutrimenta ejus ignis et ligna multa: status Domini, sicut torrens sulphuris, succendens eam. Sic describitur infernus; qui Topheth dicitur à loco incendiï, ubi cremabantur infantes idolo Moloch consecrati: quòd is locus imaginem repræsentet inferni; et est idem locus, qui gehenna dicitur, quo nomine Christus infernum expressit ab eadem similitudine. *Dæmones socii.* *Dæmo- nes socii.* *bolo et angelis ejus:* ut quibus vivendo adhæsistis, eos habeatis supplicii socios et tortores. Non ait: paratus vobis, sicut dixerat de regno; quia quoad se, voluit omnes salvos fieri, neminem ex proposito perire. Quamquam et de angelis idem est verum: sed significat ignem illum ab initio in angelos prævaricatores excitatum fuisse; homines verò ipsos, dum eos imitantur, sibi quoque illum procurasse, communemque fecisse. *Ratio.* *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi bibere, etc.* Minora objicit, ut ex iis judicium fiat de majoribus. Nec illa parva censi debent, quando ait: *Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Est autem procul dubio non parvum, Christo ipsi misericordiam denegasse; quod fit, quando pauperi non præstatur: quandoquidem contestatum reliquit sibi præstari aut negari, quod pauperi vel præstatur, vel negatur. Nihilominus cætera quoque objiciet unicuique sigillatim, quorum erit reus.

Donis abusi.

Opponent aliqui bona quæ fecerunt; ut illi: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, demonia ejecimus,*

ejecimus, virtutes multas fecimus? Quibus respondebit: *quia nunquam novi vos.* Quòd si hæc divina dona non juvabunt, quantò minùs scientiæ, aut dotes naturales? Illa autem non proderunt, quia peccatis propriis obscurata sunt; et quia, dum aliis per ea prosumus, nobis per bona opera non consulimus.

Qualiter hanc sententiam excipient reprobi? Nam, si præ timore arescebant ad signa tantùm Dominici adventûs, quid jam iras experti, quarum illa tantùm fuerunt signa?

PUNCTUM III.

I. Executio sententiæ. *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* *Executio.* Primùm damnati illo ipso momento, dehiscente terrâ, cum toto exercitu dæmonum haurientur, ac implebitur illa maledictio: *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes. Ibi erit fletus et stridor dentium.* *P. 54. 16. Matt. 8. 12.*

II. De quorum casu justoque judicio laudabunt sancti Dominum, tanquam demerso Pharaone cum exercitibus suis; et dicent: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini percussit inimicum;* et illud: *Magna et mirabilia sunt opera tua; justæ, et veræ sunt viæ tuæ.* Deinde ipsi cum Christo ascendent in Cælum, eo sensu lætitiæ, quem mortalis homo adhuc concipere nequit; concinentes illud: *Benedictus Deus qui non dedit nos in captivum dentibus eorum.* *Justorum triumphus. Exod. 15. 6. Apoc. 15. 3. P. 123 6.*

MEDITATIO XVI.

De inferno : Quid sit ; et de loco , æternitate , sociis , tortoribus .

PUNCTUM I.

Definitio. Quid sit infernus. Est carcer perpetuus ac durissimus , omni genere incommodorum refertus , iis coercendis , qui , cum peccati mortalis conscientia , impenitentes ex hac vita discesserunt. Est status omnium bonorum vacuus ; et contra , omnium malorum aggregatione cumulatus. Nullum quippe illic adest bonum , vel ex iis , propter quæ vita præsens modò à plerisque diligitur : nullum ibi deest malum , quod in hac vita toleratur. Quare discurre per singula ; et cogita hæc , præ illis , esse veluti picta ; et præter talia , superesse pejora , qualia assequi non potes cogitando ; quòd præsentibus sint dissimilia , et sine comparatione atrociora. Et ego defugiam modò modicum laborem , ut in illas calamitates non deveniam ? Sed cumulum complet , quòd non habeant finem , ut nec ipsa æternitas. Et postquam millia millium annorum effluerint , semper quasi incipient.

PUNCTUM II.

Causæ æternitatis. Æternitas hæc malorum provenit ex his causis.
1. Quia damnati ipsi sunt immortales , non tantum

De inferno.

secundùm animam , sed etiam secundùm corpus. In illis diebus *Quærent homines mortem , et non invenient Apoc. 9. 6. eam ; et desiderabunt mori , et fugiet mors ab eis : quod ipsum desiderium , cum impleri non poterit , ipsos aget in rabiem. 2. Locus similiter est æternus , terræ centrum : nam terra in æternum stabit. 3. Ignis ejus inextinguibilis , et æternus erit : nam flatus Domini sicut torrens sulphuris succendet eam ; hoc est , Deo ita volente ac faciente , conservabitur ignis ; ac si fluvius sulphuris indeficiens suppeditaret ei materiam sine intermissione. Porro ille ignis sic uret , ut non consumat quæ incendit ; et ita nec ipse consumetur urendo. 4. Vermis eorum non morietur. Hic nascetur ex conscientia peccati , tanquam putredine ; quæ cum vigeat semper , et apprehendatur immobiliter , morsus quoque vermis perpetuus existet. 5. Decretum Dei immutabile : In inferno nulla est Redemptio , quòd Sanguis Christi non derivatur. 6. Culpa manet semper , ac proinde comes illius pœna. Permanet autem culpa , quia est impenitentia. Quare cum homo in peccato mori non refugit , hoc ipso elegit in eo perdurare in perpetuum.*

PUNCTUM III.

Continuitas pœnarum ; ut nec intermissio fiat , nec variatio cum aliquo levamine. Documento sit dives Epulo , cui vel aquæ gutta denegata est ad tantillum refrigerium. Quin pœna ipsa ex accidenti augebitur , sive etiam ex accessu plurium in dies damnatorum ,

Job 24. 19. quando (ut legitur apud Job) *Ad calorem nivium transient ab aquis nivium* : et extremorum inter-se acris pugna , malis subjectiar affliget. Præterea , nec ex habitu quodam patiendi minuetur doloris sensus :
Impati- potius crescet , crescente ipsâ impatientiâ doloris ,
entia.
Ps. 73. 23. furore ac rabie. Nam *superbia illorum qui te oderunt , ascendit semper.*

PUNCTUM IV.

Infernus Loci ipsius peculiaris ærumna. 1. Nam subter-
obscurus. raneus et tenebricosus erit præ Ægyptiacis tenebris ; quò nullus radius penetrare poterit : et ipse ignis quòque nullam mittet lucem , Deo intercidente flammam ignis , id est , prohibente. Tametsi ea etiam esse poterit ejus natura , ut non evaporet flammam , sed tetrum solummodò fumum , ut alicubi videmus ex spissâ et pingui materiâ ; vel , ut ne fumum quidem ; quia ille ignis non resolvetur , ut communis noster.
Angust. 2. Erit angustissimus præ infinitâ corporum multitudine , ut planè compacta sint futura atque compressa inter se. 3. Nulla adspirabit illuc aura , et ita vocatur à Joanne *Stagnum ignis et sulphuris* , quo immersi delitescent. 4. Erit fœtidissimus , vel ex afflatu ipsorum corporum , et reliquâ loci fœditate.
Calidiss.
Apoc. 19. Denique æternùm clausus. Quòd si modò alicui exire
20. datur , is sua tormenta circumfert : post iudicium
Fœtidiss. verò , nemini.
Æternùm
clausus.

PUNCTUM V.

Tormentum à sociis. Erunt ibi ex angelis om- *Confusio.*
 nium ordinum ; erunt ex omni statu et conditione hominum ; et multi , qui nobis aliquâ necessitudine fuerunt in vitâ conjuncti. Omne ibi discrimen dignitatum cessabit , omnis titulus : pares erunt omnes. Accedet odium mutuum implacabile , ut nemo alterum ferre possit ; et præ impatientiâ et rabie sibi mutuò conviciabuntur , et se impetent : atque id atrocius , quò fuerant in vitâ conjunctiores ; præsertim si in malo. Videlicet uti carbones accensi , si cumulentur , se vicissim magis accendunt ; ita isti infernales titiones , ob mali acerbiter irritati , in semet iras exacuent , atque convertent. Et erit illud eis intolerabile , quòd separari nunquam poterunt ; neque diuturnitate pacari animi , aut reconciliari voluntates valebunt. *Odiùm.*

PUNCTUM VI.

Immanitas tormentorum. 1. Ipsi se invicem tor- *Tortores.*
 quebunt , dicentes et facientes sibi mutuò quàm pessimè poterunt : ut in præcedenti puncto. 2. Dæmones in primis exagitabunt illos , et terrificis umbris infestabunt. 3. Vermis conscientie ; dum homo cernet , quemadmodum potuit ista mala præcavere , gratiamque Dei neglexit : *Mandasti , Domine , et ita fit , ut inornatus animus sibi ipsi sit pœna.* 4. Manus Dei invisibilis super illos aggravata. Illo enim mandante ,

et vim ignis ministrante, excruciantur infelices. Undè irâ in Deum exardescens, blasphemus ore illum proscindens, extincturi, si possent. Quæ rabies adeò non levat pœnam, ut multùm adaugeat. Heu! horrendum est incidere in manus Dei viventis.

Heb. 10.
31.

MEDITATIO XVII.

De pœnâ Sensûs, et pœnâ Damni.

PUNCTUM I.

^{Sap. 11.} IN omnibus sensibus torquebitur: nam per quæ ¹⁷ peccat quis, per hæc torquetur. ^{Sensuum} Oculi, ab aspectu con- ^{pœna.} tubernalium, quos angue pejus oderit, et à spectris horribilibus, et à patratum peccatorum formis invisis. *Auditus*, à blasphemis, et maledictionibus, necnon ab inconditis vocibus, et ejulatus, et quasi ferarum rugitu et ululatu. *Odoratus*, à mutuo corporum pœdore, sulphure, et omni immunditiâ. *Gustatus*, ab ingesto sapore hærente palato, quovis absinthio et felle amariore, cum stomachi convulsione et nausæ; necnon à caninâ fame, et siti inextinguibili, ut apparet in Epulone: *Tactus* toto corpore diffusus, ab acutissimis quibusque doloribus per omnia membra, quales ex notis morbis possumus conjectare. In eo autem sensu potissimum punientur, quo maximè peccaverunt. Et operæ pretium ducemus in hæc omnia mala incurrere, ob brevem et exiguam voluptatem?

PUNCTUM II.

Pœna ignis; cujus erunt proprietates: 1. Ut ad- hærescat damnato, et hic ubique eum circumferat. ^{Ignis Inferni quid?} 2. Quòd, cum sit idem, inæqualiter cruciet pro ratione meritorum; et eam partem magis, quâ homo peccavit, attemperante Deo illius vim et operationem. 3. Quòd exurit, non lucet: ac licet, ut dicit Malachias, erunt omnes peccatores stipula, quòd statim eos flamma corripiet, non consumerunt tamen, ne cruciari desinant. Audi, homo: ^{Mal. 4. 1.} *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* ^{Isa. 33. 14.}

PUNCTUM III.

Pœna potentiarum internarum. *Phantasia* vexabitur tristibus imaginibus. Quale de Ægyptiis olim scribitur, quòd ^{Pœna potentiarum internarum.} *personæ illis truces apparentes pavorem illis præstabant; et transitu animalium, et serpentum sibilatione commoti tremebundi peribant.* ^{Sap. 17. 4.} Hinc appetitus sensitivus per varias passiones distrahetur; et quasi lacerabitur ab irâ, tristitiâ, pavore, agoniâ, desperatione, invidiâ, rabie.

Memoria jactabitur fluctibus cogitationum, tum verum præteritarum, tum imminentium, quæ se importunè objicient, ac ingerent: nec ex ullâ re solatium poterit accipere; et ipsæ olim perceptæ voluptates tormento erunt.

Intelligentia turbata et excæcata aberrabit in ju-

dicando, et pœnas inflictas injustitiæ divinæ adscribet.

Voluntas in malo indurata et obstinata erit, ut Deum ipsum oderit, et amicos ejus: neque in ullâ re miser homo implere voluntatem suam poterit, undè aliquod levamen accipiat.

PUNCTUM IV.

Pœna
damni si-
militudi-
ne expli-
catur.

Restat pœna *damni*, quæ ex quibusdam similibus, licet infinitè distantibus, æstimari potest. Veluti si quis excidat hæreditate amplissimâ, si copiâ maximarum deliciarum privetur, si vitâ hæc longè carissimâ per mortem exuatur intempestivè. Sed hæc vilia sunt, nec conferenda. Plus valet, quòd viri sancti divinitùs illustrati vel ad cogitationem solam tantæ jacturæ deficient animis. Porrò damnati, etsi non percipiunt intimis sensibus magnitudinem jacturæ quam faciunt, poterunt tamen ex malis, quæ perferunt et patiuntur, ex parte aliquâ conjectare. Nam Deus, qui ita severè vindicat peccata, haud dubiè non est in remunerando minùs liberalis, quàm in puniendo justus. Intuebuntur etiam aliquod gloriæ cœlestis specimen, ex aspectu sanctorum in die Judicii; quòdque illos in beatas Cœli regiones subvectos cognoscent, ipsis ad tartara detrusis. Neque tamen honesti amor, aut Dei, erit causa dolendi de amisso illo bono; sed quòd illius usura à tot malis eos vindicasset, et magnâ procul dubio quiete beasset.

Cæterùm jactura illa erit tanta, quantum est bonum, videre Deum sicuti est, et frui possessione boni infiniti, modo excellentissimo: item quanti est corpora immortalia et impatibilia gestare, et potentias omnes animæ, tum externas, tum internas habere perfectas, et circa objecta ipsis convenientissima occupatas; frui etiam loci pulchritudine incredibili, et societate jucundissimâ hominum et angelorum, absque omni amaritudine, vel offensione; atque id totum, in æternum. Amen.

Dolor
damna-
tum.

*Modus orandi pro puritate conscientie
acquirendâ.*

In Introductione, cap. 9, dictum est de tribus orandi modis, quorum unus confert ad purgandam conscientiam. Versatur autem circa septem vitia capitalia, Decalogi præcepta, tres animæ potentias, et quinque sensus exteriores. Subjiciuntur porrò de singulis partibus meditationes: ac primò de septem vitiis, quæ sunt aliorum vitiorum fontes, et in septem capitibus draconis significantur; quin in septem nationibus terræ Palestinæ, quæ subigendæ fuerunt, ut Judæi illam possiderent. Subegerunt autem paulatim, non primo statim impulsu: quod ipsum nobis contingit. Nam licet per contritionem et confessionem deleta sit culpa, remanent pravæ consuetudines, efferatæque passionēs, sensim edomandæ. Sicut Moyses Israeli dixit: *Ipsè Deus consumet na-*

Deut. 7.
22.